

1487

fuerit in collega rationibus, defessam civitatem belli oneribus malle quiescere: ad id respicere ipsos non oportere. Tridento enim capto, non eam modo pecuniam, quam hanc in belli partem, paucorumque dierum moram erogari oportuerit, sed illam etiam quæ toto in bello per tot menses esset insumpta, cumulate sarcitum iri, vel magno potius cum fœnore, magnisque utilitatibus repensum & restitutum: vindicatum præterea injurias ab iniquo acceptas hoste: auctum imperii fines: auctum etiam gloriam, nomenque reipublicæ clarus factum. quæ quidem omnia nisi tanti esse, quanti æstimanda jure sunt, majores nostri duxissent, nunquam ipsos tot labores atque tantos perlatus: nunquam illum bellum suscepturos fuisse, ut suam & reipublicæ gloriam una cum imperii finibus protenderent. Postremo, occasionis esse rem, ut Tridentum capiatur, vel militibus sua celeritate atque virtute in oppidum non præmunitum irrumpentibus: vel quod repentina nostri exercitus adventu oppidani perterriti, ne diripientur, dditionem faciant. Itaque ad eos casus eventusque tentandos, in iis quas haberent ipsi copiis satis virium atque præsidii fore. Id si recte cesserit, ipsum illum suum collegam in primis imperatorem summis laudibus laturum, qui ejus rei consilium inierit: sin se oppidum tuebitur, vastatis finibus, incensis ejus regionis castellis vicisque, incusso magno terrore hostibus, exercitum ultorem reduci oportere. Id autem procliviore omnium hominum venia posse tum fieri, quam si jam nunc inulti domum redeant. Porro non horis omnibus rei bene gerendæ facultatem exercitibus dari. quare cum datur, ab iis qui præsunt, ea esse magnopere utendum, ne lapsæ temere atque præteritæ recordatione pœnitentiaque diu atque incassum torqueantur. Hac habita oratione a Marcello, Pisanus in collega sententiam se traduci facile passus est: itaque ambo imperatori permiserunt, uti de eo, quemadmodum sibi agendum videretur, ita statueret.

Ille, dimissis legatis, ad rem explicandam maturandamque se dedit. Sed quod erat in ipsa læva fluminis ripa, qua Tridentum, quaque Roveretum est, inter utrumque oppidum, ter mille ab Rovereto passus, castellum Petra

H. Bembi.

B 3

loco